



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Mvndvs Et Mvndi Partes, Divinæ Bonitatis Ac Ivstitiæ
Præcones**

Stengel, Georg

Ingolstadt, 1645

§. 8. Aqua Baptismo & Christi ipsus contactu consecrata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52365](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52365)

Parasceues, à ministro aquam afferri, potest gratia. Allatam gustavit, toruoque vultu. *An non, inquit, iussi, ut aquam afferres, non vinum? Territus ille, sanctè affirmavit, aquam se attulisse de fonte. Iussit iterum haurire, & tertium haurire, semper, aquæ loco, vinum est apportatū. Tum resolutus in lachrymas, oculos in cælum sustulit, inquiens: Quando tua voluntate, mirifice Creator, creatura mutatur, cedo, quia jubes. Ecce in die passionis Filij tui, sumo, quod præstas. Monstrant hodie fontem, juxta domum thesaurariæ in Raceburgo, vnde hausta fuit aqua, eo die, in vinum versa à Christo, quo ipse fel in potum à mortalibus accepit.*

§. VIII.

Aqua Baptismo & Christi ipsius contactu consecrata.

Enim verò aquas Christus honoravit non solum, quando eas, ad nuptias invitatus, alijsque locis, in vinum conuertit: sed etiam quando, suscepto à Ioanne baptisate, Jordanis fluentia consecravit; itemque, quando, quarta vigilia noctis, venit ad discipulos ambulans super mare, pedibus eius se permittens calcari, tanquam marmor solidū: & quando olim, quotannis, clarissima illa miracula

repe-

S. Maxim.
im. ser. de
Epiphania.
Matth.
74. 25.

repetiuit; dum plerisque in locis orbis occidentalis, Paschali tempore, quo solenne baptisma, in Ecclesia, peragi consuevit, e sicco aridoq; fonte lapideo copiosum ad baptismi usum aqua exundare consueverunt. Potest huc etiã merito suo referri ille fons, qui, teste S. Hieronymo, ad radicẽ montis ebulliens, ab eadem, in qua gignitur, sorbetur humo. & Apostolorũ Acta referunt, Eunuchũ Candacis Reginae Ethiopũ, in hoc esse baptizatum à Philippo. Maxime verò ad hunc censum pertinet fons, qui, in Mamertino carcere Apostolorum Petri & Pauli, Romæ, ad baptizandos eorum custodes, Processum & Martinianum, diuina virtute, è petra promptissimè erupit. *Admirabile enim digna res est, eundem illic fontem, in hanc usq; diem perseuerare, non tantum rerũ ibi gestarum memoria nobilem, sed perenni illustrem miraculo: quippe positus, in medio carceris strati prægrandibus Tiburtinis sibi inuicem inherentibus, è perforato saxo, altitudine cubitali tantummodo, & palmi vnus, vel circiter latitudine, sic aqua scaturit, ut nec foras exundet; nec quantumlibet hauriatur, unquam siccetur. Notissimum est eius rei experimentum, dũ, certis anni diebus, quibus carcer ille, religionis ergo inuisitur, totius urbis concursu, & fideles inde*

Cæs. Bâron. Anno Christi. 31.

S. Hieronym. de locis Hebr.

Sur. 2. Iulij.

Cæs. Bâron. Anno Christi. 68. n. 27.

*hauriunt aquam, & potant, & tamen fons in-
deficiens perseverat.*

§. IX.

*Varius, in rebus sacris, aquæ usus spiri-
tualis.*

Fontem hunc D. Petrus, qui prædictos, in
carcere, milites ad Christum conuertit, pre-
cibus à D E O impetrauit, tanto maiore be-
neficio, quia, eo saliente, & sitis est restincta,
& extincta sunt peccata baptizatorū. Quæ
sanè non minima dignitas est aquæ, esse
scilicet instrumentum, per quod animæ ex-
pianantur, & gratiæ cælestis in eas vita infun-
ditur. Neque in baptismo tantum usus hic
aquæ sacer fuit. Siquidem consueuerant anti-
qui Christiani etiam, ante precationem, ma-
nus abluere. Ad quem morem alludens Pau-
lus ait: *Volo viros orare, in omni loco, leuantes
puras manus.* Et apud Clementem legimus, *ut
Christianus lotus oret*; significabat scilicet
ea lotio manuum, operum & conscientiam puri-
tatem. Qua de causa Tertullianus ait: *Quæ
ratio est, manibus quidem ablutis, spiritu vero
sordente, orationem subire?* Postea in eiusmodi
lauacri locum successit, ut aqua sacerdo-
tis precibus benedicta (quæ fidelibus vsui
esse consueuerat, in eorum domibus, ut A-
lexan-

1. Tim. 2.
Clem.
lib. 8.
Constit.
c. 38.

Tertul-
lian. de
orat. c. 11.